

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

Extrema-Unctio, sic dicta quia infirmis in extremo vitæ periculo constitutis administratur, vel potius quia ultima est unctio sancta homini destinata, aliis etiam donatur nominibus: v. g., dicitur *unctio infirmorum, sacramentum exeuntium*; et apud Græcos, *oleum sanctum, oleum cum oratione, oleum benedictionis*. Arcudius, l. 5, cap. 1.

Definiri potest: *Sacramentum novæ Legis quo, per olei benedicti unctionem et sacerdotis orationem, Christiano periculose ægrotanti animæ et etiam corporis, si expediat, sanitas restituitur*. Veritas hujus definitionis ex dicendis patebit.

Præsentem dividemus Tractatum in octo capita. In I^o de existentia, in II^o de effectibus, in III^o de forma, in IV^o de ministro, in V^o de materia, in VI^o de necessitate, in VII^o de subjecto, et in VIII^o de ritibus hujus sacramenti disseremus.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA EXTREMÆ-UNCTIONIS SACRAMENTI.

Juxta *Bellarminum* et quosdam alios, Valdenses, Wiclefistæ et Hussitæ, sacramentum Extremæ-Unctionis negaverunt: verum *Bossuet, Histoire des Variations*, l. 11, num. 108, *Juénin* alique plures eos ab hoc errore vindicant. Lutherani vero et Calvinistæ illud suggillantes, procul rejiciunt. Inter eos, tamen, plures fere nobis in hoc suffragantur. *Leibnitz, Syst. Theol.*, dicit « non multo » disputandum de unctione infirmorum, quæ verba habet Scripturæ sacræ, interpretationem Ecclesiæ cui pii » et catholici homines tuto fidunt, etc. » Vide antiquo-

rum testimonia apud *Serrarium*, recentiorum vero apud *Esslinger*, citantem *Ammon, Augusti*, etc.

PROPOSITIO.

Extrema-Unctio est sacramentum novæ Legis proprie dictum.

Prob. Illa propositio est de fide catholica, et insuper probatur Scriptura sacra, traditione et præscriptione.

1^o *Est de fide catholica.* Fuscè enim exponitur in Decreto ad Armenos, et definitur in Concilio Trid., sess. 4, can. 1, de Sacramentis in genere, et sess. 14, de Extrema-Unctione, can. 1, sic se habente: « Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse vere et proprie sacramentum » a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo » Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a » Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit. » Ergo 1^o.

2^o *Prob. Scriptura sacra.* Ep. B. Jacob. v, 14 et 15: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Unde sic: In Extrema-Unctione reperitur, ex illo textu, 1^o signum sensibile, *ut patet*; 2^o promissio gratiæ, cum peccata remitti debeant; 3^o institutio Christi, quia solus Christus gratiam huic signo annectere potuit; 4^o institutio tandem facta modo permanenti; hic enim non agitur de quibusdam personis aut de circumstantiis peculiaribus, sed de recessu ad presbyteros pro omni tempore omnique infirmorum genere; is nempe est sensus obvius verborum B. Jacobi. Ergo 2^o.

3^o *Traditione.* *Origenes, Hom. 2 in Levitic., n. 4: Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per penitentiam remissio peccatorum* (est sacramentum Penitentiaë cujus characteres describit); addit: *In quo impletur et illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, etc.* Extremam-Unctionem comparat Penitentiaë et velut sup-

plementum ejus habet : porro æstimat ibidem Pœnitentiam esse sacramentum : ergo.

S. *Chrysost.* de Sacerdotio, l. 3, n. 6 : « Neque sacerdotēs tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt; nam » *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, advocet presbyteros » Ecclesie, etc.* »

S. Innocentius I, mortuus anno 417, in Epistola ad Decentium episcopum, ab illo interrogatus de quibusdam dubiis circa hoc sacramentum, respondet, inter alia, hoc sacramentum negandum esse pœnitentibus publicis quibus cætera sacramenta negantur : « Nam, inquit, » pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est » sacramenti; nam quibus reliqua sacramenta negantur, » quomodo unum genus putatur posse concedi? » *Labbe*, t. II. Ergo 3^o.

4^o *Præscriptione*. Hoc enim sacramentum communis est usus non solum in Ecclesia Latina, sed in cunctis Ecclesiis Orientalibus; in cunctis retro sæculis reperitur existens, nec ulla assignari possunt introductionis ejus vestigia; merito applicatur regula *S. Aug.* : « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis fuit institutum, sed » semper retentum est, non nisi ab Apostolis traditum » rectissime creditur. » Ergo 4^o, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices : Antiqui auctores, vitam et ultimos actus plurimorum virorum illustrium scribentes, de administratione hujus sacramenti omnino silent, v. g., *Eusebius*, in Vita Constantini Magni; *S. Athanasius*, in Vita S. Antonii; *Sulpitius Severus*, in Vita S. Martini; *Possidius*, in Vita S. Aug., etc. Ergo illud sacramentum tunc non existebat.

R. Nego conseq. Nam 1^o multi vitam aliorum pietate conspicuorum enarrantes, de susceptione sancti Viatici nihil dicunt; et tamen incredibile est eos divinum illud sacramentum non suscepisse, cum concil. Nicæn., can. 13, dixisset : « De iis qui ad exitum veniunt, etiam » num lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si » quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico

» minime privetur; » *Labbe*, t. II. 2^o Indubitatum est S. Bernardum Extremam-Uncionem, cujus utilitatem in Vita S. Malachie plurimum commendat, ante mortem quam prævidebat suscepisse; nullibi tamen legitur eum sacramentum istud suscepisse. Aliunde antiquissima citari possent monumenta; sic Gregorius Turonensis Extremam-Uncionem administratam fuisse refert Arthemio cuidam a S. Nepotiano; sic scimus adhuc S. Eugendium, abbatem, defunctum an. 510, eam suscepisse; idem dicendum de S. Clothilde regina, ex ejus Actis. Ergo e silentio auctorum nobis objectorum nihil concludi potest.

Constat, e dictis in Tractu *de Sacramentis in genere*, cap. 4, Extremam-Uncionem a Christo fuisse institutam; sed quo tempore, an ante Passionem, an post resurrectionem ejus, ignoramus, nec quærendum esse judicamus.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA EXTREME-UNCTIONIS.

Duplex est materia hujus sacramenti, sicut et Baptismi ac Confirmationis; materia remota scilicet et materia proxima.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATERIA REMOTA.

1^o Materia remota hujus sacramenti est oleum olivarum, ut constat 1^o textu citato B. Jacobi, *ungentes eum oleo*; oleum enim simpliciter dictum, est oleum olivarum: ubi alia olea exprimenda sunt, aliquid communiter additur, et dicitur, v. g., oleum nucum, oleum amygdalarum, etc.; 2^o e Decreto ad Armenos, in quo legitur de Extrema-Uncione : *cujus materia est oleum olivarum*; 3^o e tota traditione et unanimi doctorum ac Pontificum consensu.

2° Oleum debet esse purum, id est, sine ulla admixtione alterius liquoris, saltem ex præcepto ecclesiastico, ut ait *Bened. XIV*, de Synodo diocæs., l. 8, cap. 1, n. 4. Contendit tamen *Suarez* contra institutionem Christi non esse alium liquorem huic admiscere, et balsamum oleo infirmorum aliquando admixtum fuisse: hanc opinionem communiter rejiciunt doctores, sed fatentur validum fore sacramentum si, contra communem et perpetuam Ecclesiæ praxim, aliquid oleo infirmorum misceatur balsami, modo quantitas tanta non sit ut species olei corrumpatur et fiat unguentum.

3° Requiritur ut oleum ab episcopo sit benedictum: patet ex Decreto Eugenii IV ad Armenios, ex Concil. Trid., sess. 14, cap. 1, de Extr.-Uct., dicente *materiam* (Extremæ-Uctionis) *esse oleum ab episcopo benedictum*, ex Rituali Romano, etc.

4° Hæc benedictio in ordine ad sacramentum Extremæ-Uctionis adeo necessaria est, juxta communiorem sententiam, ut sacramentum cum oleo profano, vel cum oleo catechumenorum, vel etiam cum sancto chrismate administratum, nullum esset. Quia tamen non pauci arbitrantur sanctum chrisma vel oleum catechumenorum sufficientem esse materiam, docet *S. Ligorius*, l. 6, n. 709, in necessitate Extremæ-Uctionem cum chrismate vel oleo catechumenorum ministrari posse sub conditione, et deinde iterandum sacramentum sub alia conditione, si, habito oleo infirmorum, ægrotus adhuc vivat.

Unde oleorum sacrorum distributor qui ea, etiam absque ulla culpa, promiscuisset, parochos sic deceptos monere teneretur sub peccato mortali, et alia obtinenda essent olea non dubia.

5° Benedictio ad sanctificandum oleum infirmorum necessaria, non adeo propria est episcopis ut ex delegatione expressa vel tacita summi Pontificis simplicibus presbyteris delegari non possit: nam « In Ecclesia Orientali, inquit *Bened. XIV*, de Synodo diocæs., l. 8, cap. 1, n. 4, » mos viget, a mille et amplius annis in ea receptus, ut » ipsimet presbyteri, cum se accingunt ad infirmum inun-

» gendum, oleum in ea sacramentali unctione adhibendum, benedicant. » Mos iste apud alias Orientales ecclesias, v. g., apud Armenos, existit, et Ecclesia Romana illum pluries ratum habuit, ut videre est apud *Bened. XIV*, in loco citato, et in Constit. *Etsi pastoralis*, § 4, ubi agens de Italo-Græcis, ait: « Non sunt cogendi presbyteri Græci » olea sancta, præter chrisma, ab episcopis Latinis diocæsibus sanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu, » conficiantur seu benedicantur. » *Bullar. t. I.*

6° Hæc autem facultas in Ecclesia Latina simplicibus presbyteris nunquam conceditur, sed procul dubio concedi posset, sicut et apud Græcos. Verum Pius VI, qui, diebus 10 martii et 18 augusti 1791, omnibus archiepiscopis et episcopis catholicis Galliæ facultatem concesserat olea sacra, etiam extra *Cenam Domini*, conficiendi, eam, die 1 april. 1794, denegavit vicariis generalibus diocæses episcopis destitutas administrantibus, dicens, *in usu non esse in Ecclesia Latina hujusmodi potestate simplices presbyteros ab Apostolica Sede insigniri*. (*Collect. gén. des brefs, etc. t. II, p. 600 et 486*).

Paulus V, in congregatione generali coram se habita die 15 januarii 1655, temerariam et errori proximam declaravit propositionem in qua dicebatur Extremam-Uctionem valide administrari cum oleo episcopali benedictione non consecrato. Eodem sensu pronuntiavit *Gregorius XVI* die 14 septembris anni 1842.

7° Oleum infirmorum, sicut chrisma, singulis annis renovandum est et quidem sub gravi, et feria V in Cœna Domini ab episcopo diocæsano, vel, sede vacante, a viciniori episcopo benedici debet. Valet tamen sacramentum cum veteri oleo administratum; imo eo uti licitum est si novum oleum nondum haberi potuerit.

8° Vetera olea, habitis novis, comburuntur et cineres in sacrarium mittuntur; vel si copia sit major, consumi potest in lampade coram venerabili Sacramento ardente; *Dens, t. VII.*

9° Si oleum in sufficienti non videatur quantitate ut

per annum non deficiat, oleum olivarum commune cum oleo benedicto commiscere licet, juxta Rituale Romanum et omnes theologos, sed in minori quantitate; alioquin prius oleum desineret esse benedictum, quia moraliter idem jam dici non posset. Sed hæc adjunctio pluribus vicibus iterari potest, « ita ut oleum adjunctum consideratum separatim, et in unaquaque admixtione, sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis, consideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas major non benedicti; quemadmodum resolutum est a S. Congreg. Concilii, die 23 septembris 1628. » Sunt verba Pii VI respondentis, die 1 aprilis 1794, ad plurima quæ sita a presbyteris Gallicanis sibi proposita, *opere citato*, p. 486.

10° Vigilandum est ut oleum profanum ita cum sancto commisceatur, ut nulla pars ejus, sine aliqua parte olei benedicti, sumi possit; quia probabilius manet commune, et non fit benedictum per commixtionem cum oleo benedicto, quidquid in contrarium dicant *Collet, Billuart* aliique plures.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MATERIA PROXIMA EXTREME-UNCTIONIS.

1° Materia proxima est applicatio materiæ remotæ, ac proinde in Extrema-Uncione est unctio cum oleo infirmorum ab episcopo benedicto: patet ex verbis B. Jacobi, *ungentes eum*, et ex perpetua ac universali traditione.

2° Unctio fieri debet cum pollice dextro, et, in casibus extraordinariis, v. g., pestis, licet *sacramentum Extreme-Uncionis ministrare, seu unctionem sensus peragere adhibita oblonga virga*. Bened. XIV, de *Synodo diœces.* l. 13, cap. 19, n. 30, et generaliter theologo. Ea adhibenda est olei quantitas quæ ad unctionem proprie dictam sufficiat.

3° Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, septem numerat unctiones ad sacramenti hujus administrationem faciendas, videlicet: « Ungendus est (infirmus) in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutio-

» nem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter libidinem ibidem vigentem. » Idem habet Rituale Romanum, quod tamen addit: « Sed renem unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. » Et alia corporis pars pro renibus ungi non debet juxta Ritualis Romani dispositionem.

4° Constat unctiones pedum et renum, aut pectoris vel colli, ad essentiam sacramenti non pertinere: a fortiori multæ aliæ unctiones apud Græcos usitatæ, v. g., in fronte, in mento, in genis, in cruribus, in genibus, etc., essentielles non sunt, siquidem sæpe variantur vel prorsus omittuntur, sine sacramenti detrimento.

5° Certum est necessarium non esse, necessitate sacramenti, ut unctio in duplici organo ejusdem sensus fiat, scilicet in duobus oculis, in duabus auribus, in utraque manu vel in utroque pede: unum singulorum sensuum organum ungere sufficit, ut valeat sacramentum.

6° Multi theologo, inter quos *Sylvius, Estius, Natalis Alexander, Juénin, Drouin, Tournely*, Theologia Lugd., Rothom., etc., æstimant unicam unctionem in quocumque sensu et præsertim capitis, sub forma universali, inferius referenda, ad essentiam sacramenti sufficere: 1° quia verba B. Jacobi verificantur; 2° quia numerus unctionum nunquam fuit uniformis, sed variavit diversis temporibus, tum in Oriente, tum in Occidente, ut erudite ostendit *Bened. XIV*, de *Synodo diœces.*, l. 8, cap. 3, n. 3; 3° quia plurima Ritualia permittunt ut, in casu necessitatis, unica fiat unctio: quam disciplinam *Bened. XIV* referens, ib. n. 4, minime ut reprehensibilem arguit. Ergo.

Multi vero alii, cum *S. Thoma, Layman, Sotus, Suarez, Bellarminus, Concina, Bonacina, Billuart, S. Ligorius*, etc., docent unctionem quinque sensuum essentialem esse, idque constare dicunt ex perpetuo usu Ecclesie et communi doctorum consensu.

Posterior hæc sententia tutior est et sola in praxi sequenda, nisi periculum mortis urgeat; quo in casu uni-

cam adhibere licet unctionem in sensu magis obvio, alios sensus in forma modo generali exprimendo: melius est quippe dare sacramentum dubium quam nullum. Si vero infirmus supervivat, aliæ supplendæ erunt unctiones sub conditione tacita.

7° Ordo inter unctiones non est essentialis, juxta omnes: hinc qui ignoranter vel per inadvertentiam unum sensum ante alium unxisset, unctionem semel factam iterare non deberet.

8° Jure ecclesiastico omnes unctiones in Rituali præscriptas, juxta ordinem determinatum, unusquisque sacerdos facere debet, nec a peccato gravi excusari posset si voluntarie ab eo ordine recederet, vel aliquam unctionem extra necessitatem omitteret.

9° Si quis esset mutilatus, unghenda esset pars membro amputato vicinior, cum forma sensui cujus membrum erat organum correspondente: sic Rituale Romanum et omnes theologi. Similiter unghendi essent oculi cæci a nativitate, sub forma consueta; quia, licet per visum peccare non potuerit, non repugnat eum per desideria ad visum spectantia peccasse.

CAPUT TERTIUM.

DE FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ-UNCTIONIS.

1° Forma hujus sacramenti in Ecclesia Latina a multis sæculis usitata, in Decreto ad Armenos et in Concil. Trid., sess. 14, de Extr.-Unct., cap. 1, tradita, est sequens: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum; vel ut in Rituali Romano habetur, quidquid per visum deliquisti.*

2° Eadem repetitur forma ad unamquamque unctionem, solummodo expressionem sensus mutando, et dicendo, *per odoratum, per gustum et locutionem, per tactum, per gressum, per ardorem libidinis et alia prava desideria,*

pro unctione pectoris in viris et colli in mulieribus; *per lumborum delectationem*, ad unctionem renum, ubi hæc unctio pro viris est in usu.

3° Si, ob necessitatem, unica fiat unctio, exprimitur sensus cujus organum inungitur, et alii adduntur genericæ, et melius specificæ, ut multi volunt, arbitantes essentialia esse ut omnes sensus exprimantur, hancque adhibendam esse formam contendunt: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum.* Monent expedire verbum *deliquisti* præmittere, quia si ægotans ante prolationem illius moreretur, certo nullum esset sacramentum, et dubium fieret ad summum, si mors ante expressionem aliorum sensuum consummaretur. *S. Ligorius, l. 6, n. 710.*

4° Verba, *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*, aut alia æquivalentia, sunt essentialia; nullum enim omitti potest quin sensus substantialiter mutetur. Dubium est, ex modo dictis, an expressio uniuscujusque sensus sit essentialis.

Cætera verba non habentur ut essentialia.

5° Una tantum est forma pro duplici unctione oculorum, aurium, manuum et pedum: cavendum est ne absolvatur priusquam secunda facta fuerit unctio; quæ a membro dextro semper incipienda est, in sinistro statim continuanda, et unica reputatur.

6° Forma apud Græcos usitata longa est oratio, cujus sequentia tantum verba Arcudius, l. 5, cap. 5, æstimat necessaria: *Pater sancte, medice animarum et corporum, sana hunc servum tuum a morbo corporis et animæ quo delinetur.*

7° Disputatur inter theologos an forma indicativa ad validitatem sacramenti sufficeret.

Certum est 1° Christum formam hujus sacramenti explicite non instituisse, cum diversa sit apud Græcos et Latinos, et aliunde constet sacramentum Extremæ-Unionis in utraque Ecclesia validum esse.

Certum est 2° formam deprecatoriam solam in usu esse

tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia, *ut patet ex dictis*. Quæstio igitur est an forma indicativa absolute sufficere posset. Affirmant plurimi, ut *Tannerus, Estius, Juénin, Tournely, Martène, Drouin*, in argumentum sententiæ suæ innumeras exhibentes formas absolutas et non deprecatorias, in variis ecclesiis Latinis olim usurpatis, et a nemine ut insufficientes damnatas, v. g., sequentem, quæ S. Ambrosio tribuitur et Ambrosiana dicitur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut, more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates*.

Negant autem alii multo plures et communius; quia, ex verbis S. Jacobi, effectus sacramenti hujus tribuitur orationi, et mos forma deprecatoria utendi universalis est. Quoad citatas veteres formas, dicunt vel aliquam in eis inclusam fuisse orationem, vel saltem post verba absoluta adhibitam fuisse orationem. *Bened. XIV*, de Synodo diocæs., l. 8, cap. 2, quæstionem exponit et non definit; nec nos eam definire intendimus.

CAPUT QUARTUM.

DE MINISTRO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

1° De fide est solum sacerdotem esse ministrum hujus sacramenti: sic enim traditur in Decreto ad Armenos et definitur a Concil. Trid., sess. 14, de Extr.-Unct., can. 4: « Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum » hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, » sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque » proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit. » Hæc definitio textu B. Jacobi et perpetua traditione fundatur.

2° Quilibet sacerdos, etiam excommunicatus, interdictus et degradatus, valide hoc sacramentum adminis-

trare potest, quia potestas illud administrandi, non a jurisdictione, sed a solo caractere pendet. *Ita omnes*.

3° Solus autem parochus vel episcopus, aut a paroco vel ab episcopo delegatus, illud licite administrare potest, excepto casu necessitatis. *Sic omnes*. Quicumque ergo sacerdos, nec pastor, nec legitime delegatus, Extremam Unctionem administraret, graviter peccaret, et religiosus excommunicationem majorem incurreret, ut in Clement., l. 5, tit. 7, cap. 1, statuitur.

4° In gravi necessitate autem consensus sive parochi, sive episcopi præsumitur, et omnis sacerdos etiam regularis sacramentum istud licite administrare potest et ex charitate debet. *Ita generaliter theologi*, qui inferunt omnes sacerdotes ritum sacramentum Extremæ-Unctionis administrandi percellere teneri.

5° Idem sacerdos debet unctionem facere et verba formæ proferre, nec valeret sacramentum si unus ungeret et alter formam pronuntiaret.

6° Verum, cum singulæ unctiones propriam habeant formam sibi correspondentem, et partem efficiant integram, valeret sacramentum si tot essent sacerdotes quot unctiones faciendæ et unusquisque suam unctionem faciendæ verba correspondentia pronuntiaret, observando duplicia ejusdem sensus organa sub unica forma ungentia esse. *Ita omnes*.

7° Unde Græci etiam nunc septem, vel saltem tres, ubi septem haberi non possunt, advocare solent sacerdotes ad unguendum infirmum. Doctissimus *Martène*, de Antiq. Eccl. Ritib., l. 1, cap. 7, art. 3, et *Bened. XIV*, de Synodo diocæs., l. 8, cap. 4, diserte ostendunt hunc morem in Occidentali Ecclesia diu viguisse, et Valdenses hoc sacramentum reprobasse *propter sacerdotes ibi necessarios*, qui pro sua opera non exiguam exposcebant mercedem: unde fiebat ut pauperes sine Extremæ-Unctione decederent.

8° Omnes tamen fatentur unicum sacerdotem tunc temporis sacramentum istud, etiam coram aliis sacerdotibus, valide administrare potuisse, sicut et apud Græcos

illud valide administraret; ideoque verba beati Jacobi, *inducat presbyteros*, non eo intelligenda esse sensu quo plures necessarii sint, sed quod ad sacerdotes, non vero ad alios recurrendum esset; quemadmodum Christus dixit leprosis, apud Luc. xvii, 14: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, quamvis sufficeret ut uni tantum sacerdoti se ostenderent.

9° Nunc vero apud nos graviter peccaretur, si plures ad conferendam Extremam-Uncionem more veteri concurrerent, propter contrariam exstantem disciplinam, nisi sacerdos post inceptas unctiones deficeret, easque perficere non posset: tunc alter sacerdos præsens illas continuaret, jam factas non repetens; si notabile temporis intervallum effluxisset, v. g., quadrans, omnes incipiendæ essent, quia unio moralis non existeret. Sic *S. Ligorius* et plures apud ipsum, l. 6, n. 724.

10° Parochi et vices eorum gerentes mortaliter peccant si petentem inungere negligant, vel cum probabili periculo ne sine unctione moriatur differant, nisi aliqua legitima causa eos excuset, quia in re gravi non præstant id ad quod ex justitia obligantur.

Alii sacerdotes, parochi et vicariis deficientibus aut nolentibus, ad idem conferendum sacramentum ex charitate tenentur, sub gravi vel sub levi, juxta necessitatem ægroti. *S. Ligorius*, l. 6, n. 729, et *Ferraris*, v° *Extrem.-Unct.*, n. 42.

Tempore pestis, succurrendum est ægrotis per sacramenti Extremæ-Uncionis administrationem, etiam cum periculo morbum contrahendi, si in gravi sit necessitate, præsertim si aliud suscipere non potuerit sacramentum.

CAPUT QUINTUM.

DE EXTREMÆ-UCTIONIS EFFECTIBUS.

Effectus hujus sacramenti est mentis sanatio et inquinatum autem expedit, ipsius etiam corporis, inquit concil. Florent., in Decreto ad Armenos.

Concil. Trid. sic habet, sess. 14, de Extr.-Unct., can. 5: « Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit. »

Sacramenti hujus quatuor sunt effectus, scilicet, gratia sanctificans animam sanans, peccatorum remissio, reliquiarum peccatorum abstersio et corporis allevatio.

1° *Gratia sanctificans*. Probatum est enim Extremam-Uncionem esse novæ Legis sacramentum: ergo gratiam sanctificantem producit et quidem ex opere operato, idque de fide esse constat, tum ex Tractatu *de Sacramentis in genere*, tum e canone Concil. Trid. supra citati.

Hæc gratia primario sanat animam, ut docet concil. Florent., ac proinde non est mortuorum, sed vivorum, quia mortuus non sanatur; est igitur per se augmentatio gratiæ sanctificantis dans jus ad gratias speciales in tentationibus exitum e præsentis vita comitantibus necessarias.

2° *Peccatorum remissio*. Hoc de fide est, ut patet ex supradictis, ex verbis beati Jacobi: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, et ex traditione universali. Per peccata autem intelliguntur 1° venialia quæ directe per sanationem animæ remittuntur, et 2° mortalia quæ in homine sufficienter attrito, saltem per accidens, et probabilius directe remittuntur. Conclusio hæc deducitur 1° ex verbis Apostoli quæ, cum generalia sint, tam mortalia quam venialia complectuntur peccata; 2° ex verbis Concil. Trid. supra relatis; 3° ex consensu omnium doctorum; 4° ex verbis formæ: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per.... deliquisti*.

Diximus saltem per accidens, quia cum sacramentum istud primario institutum non fuerit ad peccata mortalia delenda, sicut Baptismus et Pœnitentia, accidentaliter tantum secundum plures, ea remittit; directe vero, juxta multos, licet secundo, si nempe infirmus in eis sit, sive per oblivionem, sive quia sacramentum Pœnitentiæ suscipere non potest, sive quia invalide fuit absolutus.

3^o *Reliquiarum peccatorum abstersio*, quod sic exprimit Concil. Trid., sess. 14, de Extr.-Unct., cap. 2: «Pec-
 » cati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et
 » confirmat magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam
 » excitando, quia infirmus sublevatus et morbi incom-
 » moda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis
 » calcaneo insidiantis facilius resistit.» Per reliquias
 peccatorum, intelliguntur torpor animi ad cœlestia, hor-
 ror mortis, timor ob incertitudinem salutis, pronitas ad
 malum, pusillanimitas, mentis dejectio, etc. Gratia sa-
 cramenti hæc radicitus non tollit, sed per auxilia super-
 naturalia plus minusve abundantia, secundum susci-
 pientis dispositionem, dat robur contra illa, et efficit ut
 ægrotus ex ultimis pugnis victor evadat.

4^o *Corporis alleviatio*. Hæc assertio fulcitur 1^o verbis
 beati Jacobi: *Et alleviabit eum Dominus*, quæ, cum ad
 infirmum referantur, de alleviatione corporali simul et
 spirituali intelliguntur; 2^o verbis Decreti ad Armenos
 supra relatis; 3^o sequentibus verbis Concil. Trid., cap. 2:
 «Et sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ ex-
 » pedierit, consequitur.»

Conditio, *ubi expeditur*, in verbis beati Jacobi et con-
 cillii Florent. necessario includitur; nam Extremæ-Unctio-
 nis sacramentum ad spiritualem hominis utilitatem
 fuit institutum: porro sæpe salutis hominis non utile est
 ut amplius vivat vel sanitatem recuperet: ergo. Imo com-
 munius docent theologi hanc corporis sanitatem, etiam
 salutis utilem futuram, non infallibiliter per illud sacra-
 mentum produci, sed tantum juxta divinæ Providentiæ
 ordinationem.

CAPUT SEXTUM.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS NECESSITATE.

Certum est 1^o Extremam-Unctionem ex se necessariam
 non esse necessitate mediis: homo enim absque hoc sa-

cramento justus esse potest. Si autem in justitia decedat,
 salvus erit. Ergo. Diximus *ex se*, quia hoc sacramentum
 per accidens fieri potest necessarium quasi necessitate
 mediis, si nempe homo in peccato mortali constitutus,
 voce orbatus, mox sit discessurus. Ita multi auctores.

Certum est 2^o apud omnes sacramentum hoc contem-
 nere, aut cum aliorum offensione et scandalo negligere
 vel prætermittere, peccatum esse mortale, propter gra-
 vem irreverentiam rei sacræ illatam, aut propter scan-
 dalum: nullus ergo Christianus tantum Dei beneficium
 tuta conscientia negligere potest, et multo minus sibi
 oblatum respuere.

Disputant theologi an sacramentum istud sit de præ-
 cepto sive divino, sive ecclesiastico. *Suarez, Estius, Syl-
 vius, Cabassut, Sainte-Beuve, Billuart, S. Ligorius, etc.*,
 negant, contenduntque verba Apostoli de consilio intelli-
 genda esse, nisi, ut ait *Sainte-Beuve*, ægrotus gravibus
 prematur tentationibus, ad quas superandas novo indi-
 geat hujus sacramenti munimine.

Alii vero multi docent grave existere præceptum divi-
 num et ecclesiasticum hoc suscipiendi sacramentum. Præ-
 cepti divini existentiam probant 1^o ex verbis S. Jacobi,
inducat presbyteros, quæ præceptum et non merum con-
 silium exprimere videntur; 2^o ex concilio Trid., quod,
 capite 4 Extr.-Unct., ait: «Quare nulla ratione audiendi
 » sunt qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Ja-
 » cobi sententiam, docent hanc unctionem vel figmentum
 » humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec manda-
 » tum Dei, nec promissionem gratiæ habentem.» 3^o rati-
 one, quia homo sacramentum hoc negligens, magna
 privatur gratia et auxiliis ei annexis: ergo contra chari-
 tatem sibi debitam graviter peccat.

Patroni alterius sententiæ fatentur hanc posteriorem
 omnino suadendam esse: nemo igitur Extremam-Unctio-
 nem tuto negligere potest.

Existentia præcepti ecclesiastici inferitur 1^o ex com-
 muni persuasione fidelium et pastorum; 2^o ex plurimo-
 rum conciliorum particularium decretis, uti Coloniensis I,

anno 1536 celebrati, præcipientis privandos esse sepultura ecclesiastica qui hoc sacramentum contempserint; et tandem 3^o ex Ritualium dispositione ubi præceptum supponi videtur.

Curandum igitur, quantum fieri potest, ut ægroti tempore opportuno ultima suscipiant sacramenta.

Quæritur 1^o an et quando sacramentum Extremæ-Uctionis iterari possit.

R. Nonnulli theologi, in undecimo et duodecimo sæculo, docuerunt, referente *Bened. XIV*, de Synodo dioces., l. 8, cap. 8, n. 3, fidelem oleo sancto semel inunctum eodem deinceps inungi non posse; alii contra, illum in eadem infirmitate versantem, de novo inungi posse post triginta dies; alii hoc sacramentum bis dari non posse in eodem anno; alii vero plures antiqui, ut refert *Martène*, de Ant. Eccles. Rit., l. 1, cap. 7, art. 2, n. 5, volebant infirmos vita periclitantes per septem dies continuos sancto oleo esse perungendos.

« Sed usus postea ab universa Ecclesia receptus, a » theologis communi calculo approbatus, et synodorum » ac Ritualium auctoritate roboratus, obtinuit ut semel » duntaxat in eadem infirmitate Extrema-Uctio adhi- » beatur, » inquit *Bened. XIV*, ibid. n. 4. Hæc regula in omnibus Ritualibus statuitur et sola sequenda est.

« Quod si infirmi, post susceptam hanc unctionem, » convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari » poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen incide- » rint. » Sic Conc. Trid., sess. 14, de Extr.-Uct., cap. 3.

Extrema-Uctio igitur in eadem infirmitate iterari non debet, ut ait Rituale Romanum, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, et iterum in periculum mortis incidit.

Non requiritur quidem ut ægrotus radicitus fuerit sanatus, sed ut tanquam convalescens habitus fuerit, atque in novum vitæ periculum inciderit: si, omnibus perpensis, dubium existat, « magis pro reiteratione inclinandum est, eo quod hæc reiteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, tum quod per eam novum » ipsi infirmo subsidium spirituale sperari possit. » Sic

concludit *Van-Espen*, part. 2, tit. 8, cap. 3, n. 39, et *Bened. XIV* hanc conclusionem citat et approbat.

Quæritur 2^o an Extrema-Uctio iteranda esset si ægrotus eam cum malis dispositionibus suscepisset.

R. negative; tunc enim effectus, manet suspensus, et sublato obice, applicatur. Ita *Dens*, t. VII.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SUBJECTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Nobis dicendum est 1^o de iis quibus administrari potest Extrema-Uctio; 2^o de dispositionibus ad eam requisitis; 3^o de iis quibus neganda est; 4^o de ordine inter sacrum Viaticum et Extremam-Uctionem; et 5^o, per appendixem, de sepultura ecclesiastica.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IIS QUIBUS ADMINISTRARI POTEST EXTREMA-UNCTIO.

Solis baptizatis, peccati post Baptismum commissi reis, infirmis et graviter periclitantibus hoc sacramentum conferri potest.

1^o *Solis baptizatis*, cum Baptismus sit janua cæterorum sacramentorum.

2^o *Peccati post Baptismum commissi reis*. Extrema quippe Uctio peccatum originale remittere non posset, quia non fuit instituta ad regenerandum hominem, nec valide conferretur homini qui nullum peccatum actuale commisisset; tunc enim effectus ad quos primario destinata est, nempe sanitatem animæ, etc., obtinere non posset.

3^o *Infirmis*. Mos existit quidem apud Græcos, sanos oleo sancto inungendi, et plures, ut *Juénin*, *Sainte-Beuve*, etc., volunt verum tunc administrari sacramentum: longe communius autem docent theologi invalidum fore hoc sacramentum sano ministratum, suamque sententiam probant 1^o verbis beati Jacobi, *Infirmatur quis in vobis*,